



Atimini, Benivoli Domini, historiam scribere me  
 quasi-scholasticam, hoc est, *Schola nostra*. Cum  
 enim *varia* sint historiae homogeneae *species* sive  
*classes*, uti sanè præter historiam Theologicam, Juri-  
 dicam, Medicam & Philosophicam ex Francisco Verulamio *cen-*  
*tum & triginta* alias *species* recensuit Joh. Henricus Alstedius (\*)  
 e. g. historiam *typographicam, librariam, scriptoriam, sigillatorem,*  
*atramenti, calami, papyri, membranae, cera, mellis, sacchari, lactici-*  
*niorum, lanificiorum, plumificiorum, panificiorum, bellariorum &c.*  
 quidni concessum iri credamus contexere historiam *diligentiae,*  
*industriæ, sedulitatis, tirociniorum, exercitiorum oratoriorum &*  
*poëticorum, lectionum, diatribarum, progymnasmatum,* & præpri-  
 mis excoltæ *pietatis*: non quidem ut ostentemus *merita*, sed *osten-*  
*damus* tamen *media*, quibus escendere datur ad illa

edita doctrinâ sapientum templa serena.

(*Lucret. lib. II. de N. R. v. 8.*) Ego sanè ipse cum primùm animum  
 ad instituendam publicè juventutem appuli, quod factum est  
*ann. MDCXXXV, die Vitalis 28. Maji æræ Julianæ*, id mihi nego-  
 tij credidi solum dari, JEHOVÆ ut placerent, quas expolirem,  
 mentes adolescentium, ne in enarrandis profanorum scripto-  
 rum libris operam abuterer, neque ita eas contaminarem, quò  
 tandem multa intelligendo nihil intelligerent. Pietatis itaque,  
 si non sola, præcipua tamen fuit cura: Quod factum si qui rhino-  
 cerotes crispante acutioris naris cachinno excipiant & vitupe-  
 rent, non me accusant, sed Fabritium, Trocedorfium, Siberum,  
 Camerarium, Melanchthonem, immò Moysen, Abrahamum  
 & Samuelem accusant, quos ego hujus studij auctores habeo.  
 Quodque plus ac majus est, si ex Gentilium castris hyperaspistæ  
 accersendi essent, & Orpheus & Phocylides & Pythagoras &  
 Virgilius & Ovidius & Horatius mecum facerent atque à meis  
 par-

(\*) *lib. XXXII. Encycloped. cap. X. Historica.*